


2

IN FELICISS. PVERPERI,
 um Sereniss. Dn. ANNAE Vngariae
 ac Boemiae Reginae &c: Inuictiss. Re-
 gis FERDINANDI &c. coniu-
 gis chariss. IOANNIS Ale-
 xandri Brassicani
 Idyllion.

REVERENDISS. AC ILLV-
 striss. Principi Dn. BERNAR-
 DO Episcopo Tridenti-
 no ac regio Cancellar-
 io summo no-
 minatim in-
 scriptū.


*Ad
 Bibl.
 Acad.
 Lund.*



REVERENDISS. IN CHRISTO PATRI
 ac eidem Illustriss. Principi Dn. BERNARDO a
 Gless, Episcopo Tridentino ac Inuictiss. Prin-
 cipis FERDINANDI Vngariæ ac Boë-
 miæ Regis &c. Cancellario sum-
 mo, Dn. & patrono suo reuer-
 renter obseruando, IOAN-
 NES Alexāder Braffi-
 canus se ac studia sua
 commendat.

Regia cum ponēs aliquando negotia, Præsul
 Maxime, doctrinis ancora sacra bonis.
 Ingenij exiguam foeturam at maxima amoris
 Symbola, quæ regi debeo ubiq; legas.
 Certe quicquid ibi est ardens me scribere adegit
 Lætitia, atq; auibus filia nata bonis.
 Quem natura negat, dant maxima gaudia uersum
 Sic fit lætitiæ sæpe poëta bono.
 Sunt alij quibus est plus cœli, hi dicere pergant
 Regia longe alijs pignora nata modis.
 Mi satis est animi studium ostendisse, probauit
 Hoc tantum multos nomine posteritas.
 At quis furtiuo uulcania monstra colore,
 Laudet, ab assutis cognita uersiculis.
 Cui non pro ludo est nitidi cornicula flacci
 Cum minime est cultu tota superba suo.
 Cumanum sic sæpe asinum se uendere cernas

Dum solet inducta pelle placere sibi.
 Tu qui mos tuus est cultissime Episcope, aperti
 Carmina quæso legas, dum uacat, ingenij.



Quantum oculis præstat magni Iouis ales acutis
 Lumina dum phœbi clara subinde uidet
 Laude Tridentinum sic tollit Episcopon æqua
 Quæ Regi experta est candida ubiq; fides;

IN FELICISS. PVERPERIVM SE
renis. Dn. ANNAE Vngariæ ac Boëmiæ Reginae
&c. Inuictis. Regis FERDINANDI &c. coniugis
charis. quo post ELISABETHAM Filiam Regi
nam primo loco, ac deinde Filium Regē MA
XIMILIANVM genitū. Iam tertium, dñs
optime uolentibus sibi cog/
nominem ANNAM Fi
liam reginā peperit.
IOANNIS Ale
xandri Bras
sici
IDYLLION.

FERDINANDE pater patriæ, Rex optime, nanq;
Principis eximij dotes ita dicimus omnes.
Nunc incredibili præsignem exporrige frontem
Latitia, cressisq; notis felicia signa.
Tempora, læta dies tibi labitur omninè fausto
Dñs etiam auspiciis reor & Iunone secunda
Quando iterum te prole noua, te pignore sancto
Filiola, insignis coniux facit ANNA parentem
Quam lacedæmonia est uirtute insignior ANNA
Filia principio regis, atq; inclyta regis
FERDINANDI uxor, fausto quæ numine diuū.
Reginas regesq; parit, diuasq; deosq;
Verius hanc dicas proferre in luminis auras.
Plurima debebant sua secula Maximiliano

Multa sed hæc debent quoq; tēpora Maximiliano
Quanquā etenim fuerit bello clarissimus ille
Cæsar, ut emeriti testantur ubiq; triumpho
At pacis studio est neruis maioribus usus
Nempe suos miro dum extollit honore nepotes
Dum regnorum etiam astringit connubia uinclis
Fœdera dum iuncto concordia sanguine firmat.
Sic nato primum cessere Hispana Philippo
Imperia, atq; alio gentes sub sole iacentes
Quas ego si cupiam tenui deducere uersu
Idem etiam tentem numero cōprehendere arenā
Quā libyci passim innumerā uomit æquoris æstus
Possidet hæc hodie proles generosa Philippi
Carolus, imperij & summas moderatur habenas.
Carolus ille equidem Cæsar, qui ingentibus ausis
Fortunaq; pari, tot bella ingentia gessit
Tot hostes penitus fudit, tot perfida castris
Agmina diuorum felicibus exiit auris.
Unicus exemplum præbet memorabile Gallus
Qui nido exiguo pennis maioribus usus
Exiit castris, captusq; a milite nostro
Mittitur ad magnam sacrati Cæsaris aulam.
Gallica perfidiæ comēta hæc dicere pergat
Posteritas, quæ sera licet tamen optima testis
Omnia temporibus fœda exhibet acta futuris,
Carolus ille equidem Cæsar, cui regia coniux
Filiolum patrio produxit honore Philippum
Nomine qui simul & summis uirtutibus æquet

Maximilianæ præstantia facta Philippi
FERDINANDI autem regis præstantior Anna
Nimirum triplici sobole, namq; ordine pulchro
Principio felix nata est Isabella, secundus
Maximilianus aui de nomine prodijt, illo
Nomine, quo possit nihil esse antiquius orbi,
Filia nunc reginæ Annæ cognominis Anna
Nascitur, inuicti spes tertia FERDINANDI
Austria sic omnes reuifcetur gloria ad annos
Sic semper Friderichus erit, sic Maximiliani
Mentio semper erit, sic uiuet ubiq; Philippus
Sic Isabella suum nomen sic Anna relinquet
Nomina sic ueterum referent præclara nepotes
Virtutesq; simul, quibus hæc tot rēna, tot urbēs
Tot populi, aeterno debentur rite tenore
At ueluti nigræ spes est certissima terræ
Dum segetem flauis passim promittit aristis
Sic FERDINANDI pariter tum coniugis Annæ
Natorum pleno pulcherrima copia cornu
Expectanda orbi fuerit, par nobile, namq;
Quam sibi tam nobis tot candida pignora gignit
Quin potius diuum certissima munera gignit.
Pro se quisq; igitur superum se aduoluat ad aras
Supplicibus uotis, quo tam connubia læta
Natorum eximjs donis feliciter ornent.
Pannonij uelit hoc idem gens maxima regni
Diues opum, fœcunda solo, gens strēua bello
Hoc fortes nunquam hoc cessent optare Boëmi

Regis amans populus, uarijsq; exercitus armis,
Inclyta & hoc uotis petat omnibus Austria, felix
Cum terræ cœliq; bonis, felicior illo
Coniugio, quo nullum aliud præstantius unquam
Cuncta uidens summo sol despiciebat olympo.
Tu quoq; gaude sinu tacito germania, quando
Producunt sobolem, clarissima lumina, possunt
Vnica labenti quæ nunc succurrere mundo.
FINIS.

SPECTATA VIRTUTE VIRO D.
MARCO Bœck a Leopoldsdorff, Austriae ui-
cedomino ac Regio Consiliario, Patrono
suo incomparabili. IOANNES
Alexander Brassicanus.

Parnassi Musas, phœbiq; Heliconæ Poëtæ
Esse putant scriptis numina sacra suis
Tu certe es studijs nostris MARCE optime, summū
Præsidium, & uitæ portio magna meæ
Ergo tuæ debent senium defendere famæ
Tuq; illas merito munere, Pierides.

Hieronymus Vietor Typographus Regius,
Viennæ Austriae excudebat, Anno a na-
to Christo M. D. XXVIII.
Mensis Iulij, die XIII.